



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium III. Ad quid teneatur Religiosus vi suæ professionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

*Ad quid teneatur Religiosus vi suæ pro-
fessionis.*

R Esp. Religiosus vi suæ professionis tenetur ad
progreduum aliquo modo in via perfe-
ctionis, quia ex vi professionis tenetur velle serva-
re suum statum, qui est perfectionis, sive tenden-
tium ad perfectionem, (licet secundum se non sit
præcepti, sed consilii) hoc autem est intrinsecè vel-
le tendere ad perfectionem. *S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. & 2. & q. 184. a. 5. Lay. l. 4. c. 1. n. 1. Suar. de
Relig. t. 4. l. 1. c. 4. n. 10. & c. Bardi de cons. d. 7. c. 6.
q. 5. Unde resolves:*

I. Religiosus non tenetur actu esse perfectus, sed
tantum studere perfectioni: *Bard. & c. l. c.*

II. Tenetur tendere ad perfectionem, 1. Per me-
dia essentialia, 2. Per vota, 3. Per auxilia secun-
daria, non contemnendo ea. *Lay. c. 9. n. 13. 4. Te-
netur aliquibus medijs uti, & si omnia media abji-
ciat, non est in statu salutis. Suar. Laym. l. c. dicens,
si nullum perfectionis studium adhibeat, sed omnia
monita & Regulas negligat, eò quòd sub mortali
non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad
aliqua opera bona supererogatoria, sive specialiter
non præcepta nec promissa; quia aliàs moraliter
loquendo, non potest habere debitam intentionem
salutis. *Suar. l. c.**

III. Tenetur tendere ad perfectionem per me-
dia suæ Religionis, (non per alia) hoc est servando
suas Regulas, *Sanch. l. 6. c. 5. n. 1. & 2. Hinc peccat,
1. per contemptum Regulæ, hoc est, si nolit subijci.
Ibid. n. 6. 2. si tantum velit servare, quæ sub
mortali*

mortali obligant, quia contemnit perfectionem. *Ibid. n. 7. 3.* per actum directè contrarium, hoc est, nolendo perfectionem, quod esse mortale docet *Sanch. ibid. n. 10. Pellicar. & Bard. l. c.*

IV. Si quis non tantùm intendat non esse sollicitus in observatione Regulæ; sed etiam nunquam servare, etiam si facile possit, est mortale, vel proxima dispositio ad illud, vixque potest fieri sine con-temptu formali. *Suar. n. 23.*

V. Si ex remissione animi, & sine ullo justo titulo, per directam intentionem, velit aliquam Regulam non servare, erit saltem levis contemptus, & peccatum veniale. *Suar. n. 13. in fine. & seq.*

VI. Frequenter, & ex consuetudine violare Regulam, esse mortale dicit *Sanch. c. 4. n. 18. & 20* Tum quia perturbat Religiosam disciplinam, tum quia secundùm quosdam est contemptus interpretativus vel saltem probabilissimum ejus periculum: tenetur autem sub mortali ita vivere, ut non sit graviter perniciosus Religioni inducendo alios malo exemplo ad Regulæ laxitatem. *Sanch. n. 18. Lay c. 9. n. 13.* tum quia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus; tenetur autem quisque ratione votorum, quibus se Religioni addixit, ita se gerere, ut sit tolerabilis, & non mereatur expelli: at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilem, ut debeat expelli; aut, si toleretur, plurimum nocet; ergo per accidens & indirectè agit contra professionem, peccatque mortaliter. *Sanch. n. 18. v. Aut. cit.*

VII. Religiosus Societatis JESU peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos se dimittendum vel ejiciendum prævideret: & licet ita dimissus, sit liber in conscientia,

“tia, si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata in
 6 eum finem commissa, irrita est dimissio, utpote ob-
 “tenta per dolum dantem ipsi causam; (sicut in Ma-
 “trimonio, & cæteris contractibus) unde subjacet
 “pœnis apostatarum. *Bon. de claus. q. 2. p. 12. §. 1.*
 “ VIII. Scholasticus Societatis JESU, qui pravis
 “moribus de industria dimissionem extorfit, vel fal-
 “sis allegationibus impetravit, non est liber à votis.
 “*Less. l. 2. c. 41. d. 15. Sanchez. c. 9. n. 66. Lay. n. 13.*

A D D E N D A.

58 Q. 12. Quid præterea notandum sit circa obli-
 gationem Religiosi, ut servet regulam & ten-
 dat ad perfectionem. R. Quando Regula Religionis
 non obligat sub culpa sed tantum ad pœnam, *Suar.*
 T. 4. l. I. c. 4. à n. 12. dicit Religiosum non peccare
 mortaliter, si habeat animum non servandi ullam
 Regulam, dummodo paratus sit ad pœnam sustinen-
 dam, si transgrediatur, quia in objecto illius actus
 non est materia contraria ulli voto vel præcepto, sed
 submittit se Regulæ, uti lata est, id est, subeundo pœ-
 nam, si transgrediatur: idem docent alii cum *Castrop.*
 t. 16. d. 4. p. 3. n. 6. E contra Religiosum sub mor-
 tali teneri tendere ad perfectionem, servando Regu-
 las etiam non obligantes sub peccato, docet *Eliz.* in
 doctr. Morum l. 8. q. 14. ex his rationibus, 1. quia
 Religiosus tenetur sub mortali sic se gerere, ut censea-
 tur Religiosus, esset enim graviter disforme à recta
 ratione, si aliter ageretur, sed censeri non posset Re-
 ligiosus, si nihil curaret de servandis meditationibus,
 examinibus, silentio, mortificatione, modestiâ cæte-
 risque in suo Ordine citra peccatum præscriptis, er-
 go. 2. Alioquin Superiores non peccarent graviter, si
 horum observationem non procurarent in subdita

sibi

sibi communitate, atqui per hoc peccare graviter docet communis cum *Lugo* de just. d. 9. à n. 21. ergo. *Conf.* nam si subditi negligendo illa non peccent, prudentius facient Superiores etiam dissimulando, quia ex poenis injunctis frequenter nascuntur peccata impatientiæ, murmurationis, susurrationis &c.

3. Alioquin sequitur relaxatio Religionis & ejus dissolutio, relaxatio enim habetur per non observantiam Regularum, quæ si est uni, etiam erit aliis licita sine peccato, sicque dissolvetur omnis disciplina & tota Religionis forma, quod utique est grave malum.

4. Saltem est obligatio servandi Regulas ratione periculi violandi vota, maxime in materia castitatis, uti pluribus deducit *Eliz.* q. 15. §. 3. & seqq., si enim spiritualia negligantur, fieri vix poterit, ut evitetur lapsus.

5. Quia nolle proficere spiritualiter est velle deficere spiritualiter, uti ex *S. Bernardo* pluribus deducit *Eliz.* §. 6., ergo sicuti nolle proficere seu se reficere in corpore, est velle mori corpore, ita nolle proficere & se continuo reficere in spiritu, est velle mori spiritu, præsertim in hoc statu naturæ lapsæ, in quo dominantur passionnes & rapiunt ad malum, velle autem mori spiritu est velle amittere gratiam, quod est mortale, ergo. Atque ex hac ratione infert *Eliz.* etiam sæculares sub mortali teneri tendere ad perfectionem sui status: hinc etiam docet *Oviedo* de pecc. contro. 3. n. 86. propositum non sequendi ulla Dei consilia etiam in homine sæculari semper esse peccatum, & quidem mortale, uti habet communis cum *Sanch.*, quia videtur esse graviter dissonum à natura rationali, saltem ratione periculi, ne deseratur à Deo, si sic absolutè velit præcludere omnem aditum Spiritui sancto.

59
Obijci sibi 1. Nulla talis Regula obligat sub peccato, ergo nec tota collectio Regularum, Fundatores

tores enim noluerunt imponere obligationem, nisi quam singulæ Regulæ afferunt. *Respondet*, N. conf., eò quòd sit una aliqua obligatio, quæ respiciat totam collectionem Regularum, & sit distincta à singulis obligationibus, Deus enim & Fundator Ordinis per collectionem Regularum intenderunt speciale bonum, & quidem maximum, quod non intenderunt nec habere potuerunt per singulas Regulas, per quas non potuerunt assequi finem toti collectioni præfixum, ergo meritò voluerunt esse aliam obligationem ad totam collectionem, quàm ad singulas Regulas.

Si Instes, Violatio Regularum omnium sine proposito violandi omnes, non est mortale, ergo nec violatio cum proposito violandi omnes, quia propositum accipit speciem ab objecto; ergo si objectum non sit mortaliter malum, nec ejus intentio erit mortaliter mala. *Respondet*, N. anteced., quia in violatione omnium datur propositum virtuale & interpretativum violandi omnes, tale autem propositum in moralibus æquivalet formali.

Objicit tibi 2. In Religione nihil profiteamur nisi tria vota substantialia, ergo ad alia non tenemur sub peccato. *Respondet*, N. ant., Religio enim ab Ecclesia non admitteretur, quæ tantum tria vota profiteretur sine peculiaribus Regulis ejus finem completentibus, sic enim finis castitatis Religiosæ non est honestas præcisè castitatis, sed simul facultas liberiùs vacandi Deo & Divinis, uti ex Apostolo expressè docet *S. Th.*, quem refert *Eliz.* q. 15. §. 1. Similiter paupertas & obedientia non haberent rationem virtutis perfectæ & Religiosæ, si in ipsis listeretur, sed illam habent, quia sunt media ad aliam perfectionem veluti finem tali Statui Religioso præfixum, uti pluribus declarat *Eliz.* §. 2. Videri potest *Suar.* supra, ubi

ubi difficultates istas extenuat ; si enim sit duplex obligatio, una tendendi ad perfectionem, alia observandi vota, ergo qui peccat contra votum, committit duplex specie peccatum: rectè tamen notat *Castrop.* n. 7. talem per accidens sæpe contrahere mortale, vel ratione scandali, vel per contemptum Regulæ, vel quia reddit se Ordine indignum, vel quia causat grave damnum communitati, minuendo Regularem observantiam. Vide dicenda l. 5. n. 214.

Q. 13. Quid notandum sit circa novitiorum 61
obligationes & privilegia. R. Seqq.

§. I. Quamvis Regulæ alicujus Ordinis obligarent professos sub peccato, tamen non obligant novitios, *Suar Sanch. Castrop.* t. 16. d. 1. p. 10. n. 5. Ratio est, quia nec tenentur ex obedientia, cum eam non voverint; neque ex debito uniformitatis, quia ad hanc tenentur tantum illi, qui professi sunt talem statum; neque ex statu ipso probationis, qui non plus obligat ad Regulas, quam status catechumeni ad præcepta Ecclesiæ: tenentur tamen ad poenas subeundas, si delinquant, partim quia hoc concedit Ordinè Papa, ut novitii probari possint, partim etiam quia se tradiderunt gubernandos Religioni, & sub ea conditione instruuntur ac sustentantur: atque hoc fortè vult *Laym.* l. 4. t. 5. c. 5. n. 3. dicens novitios obligari justis præceptis Prælatorum, convenienter ipsorum statui impostis, subjiciuntur enim spirituali eorum jurisdictioni, & aliàs tanquam vagi haberentur, quod videretur alienum ab Ecclesiastico regimine.

§. II. Superior non potest novitium sub peccato 62
obligare ad ea quæ tantum sunt consilii & perfectionis, quia novitius nec vovit illi obedientiam, nec obligavit se ad perfectionem, sed tantum probat statum perfectionis, deliberans an eum amplecti velit

necne : unde Superior tantum ita potest obligare novitium, uti Prælati Ecclesiastici suos Clericos, quia novitii per ingressum subjiciunt se Superioribus, uti Clerici Prælati, quoad pœnas. Estque probabile, novitium, qui deliquit, teneri subire pœnam, antequam egrediatur, uti docent *Suar. & Castrop.* n. 7. & 8. contra *Sanch.*

63 §. III. Quamvis novitius faciat aliquid contra materiam votorum, v. g. contra castitatem, non ideo contrahit sacrilegium, quia nullâ tenetur speciali obligatione votorum Religionis, *Suar. Sanch. Castrop.*, & constat ex dictis.

64 §. IV. Si novitius Ordinis exempti commiserit peccatum, quod in illa Religione est reservatum, docet *Castrop.* n. 9., quamdiu in novitiatu manet, non posse absolvi à quocumque sed tantum ab habente potestatem in reservata talis Ordinis, quia Papa eximens Ordinem à jurisdictione Episcoporum, etiam censetur eximere novitios, quos Ordo complectitur; & licet hæc exceptio videatur aliquo modo novitiis præjudicare, tamen absolutè favorabilis est, cum secum trahat multa alia privilegia novitiis propter Ordinem communia: putant tamen etiam multi apud *Dicast.* de cens. d. 3. n. 596. & cum *Diana* p. 3. t. 2. R. 4. & 110. peccata novitorum non esse reservata, quia ante professionem videntur esse instar sæcularium; & idem videtur tenere *Pelliz.* t. 10. c. 10. n. 167., ubi dicit Confessarium novitii vel novitiæ non indigere speciali approbatione Episcopi, sed posse confiteri alteri non aliter ac sæculares, quamvis enim ad Confessiones Monialium requiratur specialis approbatio, tamen per has intelliguntur professæ, cum tò Moniales sumi debeat strictè.

65 §. V. Satis probabile est, quòd omnia privilegia Religiosis in genere concessa, etiam participantur à novi-

novitiis, quia licet Religiosi non sint, tamen communi nomine appellantur, & in favorabilibus censentur Religiosi, *Suar. Mol. Sanch.* & alii cum *Castrop.* p. 11. & *Diana* p. 3. t. 2. R. 73. contra *Rodriq. & Portel.*

Q. 14. Quid notandum sit circa clausuram **66**
Monialium. R. Seqq.

§. I. Moniales sunt immediatè subjectæ, vel Papæ, vel Episcopis, vel Superioribus Regularibus; & harum aliquæ sunt, aliquæ non sunt exemptæ à jurisdictione Episcopi: Et quidem putant *Pias.* p. 2. c. 3. a. 7. n. 2. *Zerola, Barb.* de potest. Epif. alleg. 102. à n. 5. & alii cum *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 9. n. 7. omnes Moniales etiam exemptas subjectas Regularibus, etiam subesse Episcopis quoad clausuram, qui eum in finem possint eas semper visitare & cogere, ut clausuram observent, quia sic videtur statuere *Bonif. VIII.* in Constit. *Periculoso*, Cap. un. de statu Regularium, in 6., quam renovant *Trid.* Sess. 25. c. 5. de Regul., & *Pius V.* in Const. *Circa pastoralis*, apud *Piasec.* suprâ & *Barb.* à n. 11., sed probabiliter contradicunt *Nav. Llamas & Sanch.* in Decal. 1. 6. c. 15. n. 21. aliique apud *Barb.* n. 6., quia in Constit. *Bonifacii* expressè dicitur, ut Episcopi id curent in Monasteriis sibi & Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, Abbates autem & alii tam exempti quàm non exempti in Monasteriis sibi subjectis.

§. II. Præcipiunt *Bonif. VIII.*, *Trid.*, *Pius V.* **67**
Greg. XIII., *Paulus V.*, ut clausura conserveatur, aut ubi non est, inducatur in Monasteriis Monialium: quæ decreta innovavit *Alex. VIII.*, suntque recepta in plerisque Diocesibus, nominatim in Colonienfi ex mandato Sereniss. Josephi Clementis 30. Apr. 1690.; item in Monasterienfi ex Decreto Celsiss. Friderici Christiani 6. Julii 1690., ubi ex te-

nore Bullæ *Alexandri VIII.* dicitur, sub pœna nullitatis, ne impostero ad habitum Regularem admittantur novitiæ, vel jam in probationis anno existentium professiones excipiantur, nisi Monasterium, in quo vestiri vel profiteri cupiunt, amplexum sit & ad amissim observet clausuram, juxta normam quam superius relati Pontifices præscripsere: quibus decretis jam paruerunt plura Monasteria in Diœcesi Monasteriensi, uno aut altero adhuc prætendente causam impossibilitatis, quibus tamen interim nunquam data est facultas admittendi ullam ad habitum vel professionem.

68 §. III. Circa decretum illud *Alexandri VIII.* Illustriss. Archi-Episcopus Thebarum, Nuntius Apostolicus Coloniae, dedit 9. Febr. 1691. Reverendiss. Anethan Suffraganeo & Vicario Generali Colon. hanc quasi declarationem: *quamvis SS. Dominus noster prudenti Ordinariorum arbitrio reliquerit nunc & in hisce circumstantiis dispensare super decreto circa clausuram Monialium nuper emanato, dummodo à novitiis, antequam ad habitum & professionem admittantur, explicitum votum clausura exigatur: at tamen cum sit etiam mens Sanctitatis suæ, quod non solum novitiæ, antequam ad habitum admittantur, promittant se hujusmodi votum emissuras, sed etiam declarent cetera Moniales earumque Superiores, se novitiam non nisi ea sub conditione acceptare, ita ut absque prævia ejusmodi promissione & declaratione non possit puella admitti ad habitum, minus ad professionem, sub pœna nullitatis & incurfionis censurarum violatoribus clausura per Sacros Canones & Constitutiones Apostolicas comminatarum.* Illustriss. autem Archi-Episcopus Damascenus, etiam Nuntius Apostolicus Coloniae, jam antè, scilicet 11. Julij 1690. inter alia scripserat ad Diœcesin Monasteriensem sequentia,

quentia, quod attinet ad objectionem, quod possint
 Moniales opponere se non vovisse tam strictam clau-
 suram, Respondetur, nec illas ad ejusdem observan-
 tiam per decretum obligari, posseque omnes in anti-
 quo instituto permanere, dummodo novitias non ad-
 mittant: si autem tempore meo in hisce partibus le-
 gationis aliquod Monasterium diocesis Colonien-
 sis clausuram non servans Virginem ad habitum reci-
 peret, intenderem eidem ejusdemque Superiori cu-
 rare indicari à Reverendis. Dño Suffraganeo vel
 nomine Pontificio, ut ante octiduum habitum dimit-
 teret; & ubi hujusmodi mandato non acquiesceret,
 decernerem, ut brachio seculari, vestibus Monasticis
 dimissis, ad cognatos decenter reduceretur. Quam-
 vis autem uterque Illustriss. Nuntius ita rescripserit,
 tamen dicendum est cum *Sanch. c. 2. n. 42. Castrop.*
n. 2. aliisque, quos refert & sequitur *Delbene de Imm.*
Eccl. c. 19 d. 3. f. 1., posse ab Ecclesia, & nunc ab Epi-
 scopis auctoritate Apostolicâ præcipi Monialibus
 ipsis strictam clausuram, quamvis eam expressè pro-
 fessæ non sint, quia hoc est conforme primæ earum
 Regulæ, & necessarium ad votorum observationem,
 adeoque indirectè spectans ad professionem, quam
 emisissent, uti docet *S. Th. quodl. 10. a. 10.*, & doctè
 resolvit *Sylvius p. I. v. clausura cas. 1. & 2.*, solvens
 omnes rationes, quæ fieri possunt in contrarium, po-
 testque etiam videri *Less. in auct. v. Monialis cas. 1.*
 Imò *Sylvius cas. 3.* dicit inauditum esse, quòd uni aut
 alteri admittendæ indicatur clausura, si maior pars
 communitatis clausuram non receperit, putavitque
 posse interim admitti alias, dummodo bonâ fide in-
 tendatur clausura, &, quamprimum fieri poterit,
 inducatur: probat autem fusè *Less. v. Religiosus cas.*
6. posse Prælatos à professoris etiam scripto exige-
 re, ut se obligent ad reformationem, ad strictiorem

observantiam Regularum, ad cedendum certis portionibus vel commoditatibus &c., hæc enim sunt conformia omni instituto Religioso. Vide dicenda n. 160.

69 §. IV. Si Monialis exempta, Superiori Regulari subiecta ex iusta causa egrediatur, *Nav. Suar. Leg. Bonac. Mirand, A. Tamb. Laym. Lamas, Grassi. Roderiq.* aliique putant sufficere licentiam Superiorum, quamvis contradicant *Pias. n. 4.* aliique cum *Barb. n. 23. & Delb. d. 7.*, quia *Pius V.* expressè requirit licentiam etiam Episcoporum, aut saltem approbationem causæ per hos faciendam, nam dicit, *quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expressè in scriptis approbata sit: sed Sanch. c. 15. n. 28. & Castrop. n. 9.* rectè dicunt esse attendendam consuetudinem, quæ in Hispania est, ut quoad exemptas sufficiat solius Superioris Regularis licentia. Vide dicenda n. 76. Addit *Sanch.* posse id concedi etiam ab aliis Superioribus, & non tantùm à Generali & Provinciali, nisi Constitutionibus Religionis aliter cautum sit, aut consuetudo obstet; & idem quoad ingressum in Monasteria repetit c. 16. n. 1., consentitque *Castrop. p. 10. §. 2. n. 3.* Abbatissa tamen non potest concedere talem licentiam, uti rectè *Roderiq. & Sanch. c. 15. n. 28. & c. 16. n. 22.*; addit c. 15. n. 28. cum *Barb. n. 28. Delb. d. 8. s. 1.* & aliis concedi posse Monialibus Episcopo subiectis à Vicario Generali, etiam fede vacante, nisi Episcopus sibi reservarit, quia potestatem ordinariam habet communem; non tamen potest à Vicario, sine commissione Episcopi, concedi Monialibus Papæ immediatè subiectis, quia
circa

circa has id potest Episcopus auctoritate tantum delegata: Denique putat *Sanch.*, quod Capitulum sede vacante possit quoad hoc idem, quod Episcopus, quia mens Pontificum fuit, ut pro casibus occurrentibus semper in partibus esset aliquis delegatus ad ejusmodi concessionem dandam: vide *Castrop.* p. 9. n. 10.

§. V. Causa egressus debet esse gravissima uti ostendit *Sanch.* c. 15. n. 31., quamvis enim *Trid.* dicat causam debere esse legitimam ab Episcopo approbatam, tamen videtur censere illas tantum esse legitimas, quas postea adduxit *Pius V.*, nempe 1. Causa magni incendii, si flamma declinari non posset, 2. Infirmitas lepræ, à qua esset grave periculum contagionis apud reliquas: 3. Epidemia, id est, quivis morbus contagiosus, uti volunt multi apud *Sanch.* n. 35. cum *Barb.* n. 24. & *Delb.* d. 10. & 12. Quamvis autem *Zerola* apud *Sanch.* n. 36., & alii plures apud *Barb.* n. 15. dicant S. Congregationem declarasse ex nulla alia causa licere egressum, tamen melius dicunt alii plures cum *Sanch.* n. 37. *Barb.* n. 16. *Castrop.* n. 13. idem dici posse de aliis causis, in quibus est eadem vel urgentior ratio, quod probabile esse fatetur *Delb.* d. 11., quia leges patiuntur ejusmodi extensionem ad casus similes: putant tamen cum aliis multis *Sanch.* n. 39. *Barb.* n. 20. *Delb.* d. 17. extendi non posse ad alias dissimiles causas etiam graviores, ideoque egressum concedi non posse Moniali, quamvis alias ex morbo esset moritura, quia hic non pateretur bonum commune sed tantum privatum: *Nav.* tamen, *Az.* *Lamas*, *Sorbus*, *Suar.* *Peyr.* apud *Barb.* n. 21., probabiliter contradicunt & probabile esse fatetur *Castrop.* n. 15., quia tales leges humanæ non censentur obligare cum vitæ periculo; hinc etiam liceret Moniali fugere extra clausuram, si alioquin esset ab invasore occidenda, testaturque

turque *Nav.*, quòd Greg. XIII. pro causa dandæ facultatis agnoverit, si Medici judicent egressum esse necessariū ad tuendā vitā, & hoc videtur innui in causa magni incendii, propter quam videtur Cajæ Moniali licitum esse egredi, si alioqui esset comburenda, quamvis aliæ se aliter in clausura salvare possent. Addunt omnes communiter cum *Sanch.* à n. 42. & *Barb.* n. 20. & 25. justam causam egrediendæ esse imminens periculum Monasterii ab hæreticis militibus occupandi; aut simpliciter ab hostibus, à quibus honor Monialium & fortè vita perichitaretur, *Castrop.* supra & alii: Item ut Monialis pro necessitate fiat alibi Abbatisa, magistra novitiarum, aut alibi inchoet Monasterium, aut si totus Conventus mutet habitationem; item ut aliqua præstet juramentum pro obtentione feudi, si id ab alio homine præstari non possit &c., hæ enim causæ sunt similes, cum spectent ad bonum commune. Vide *Delb.* dub. 13. & seqq., ubi d. 19. docet contra alios posse etiam ideo egredi, si velit ingredi, ad strictius Monasterium. Quòd si necessitas egressus urgeret & non posset peti licentia, sufficeret licentia Abbatisæ, quia necessitas non habet legem, *Sanch.* n. 62. *Delb.* d. 21. Causa tamen justa egrediendi non est, si Monialis sit incorrigibilis, quia tum potius restringenda est in carcere, uti habet consuetudo, docentque AA. cum *Barb.* n. 27. & *Delb.* dub. 18. Item non est justa causa, si Abbatisa velit visitare Monasteria sibi subiecta, uti declaravit *Pius V.*, docentque AA. cum *Delb.* d. 15., quia visitatio aliis commissa est. Quòd si causa egrediendi esset manifestè justa, & tamen Superiores rogati negarent facultatem, secluso scandalo vel infamia Religionis, docet cum aliis *Castrop.* n. 11. Monialem posse egredi, eò quòd præcepta humana vel vota non ceantur obligare cum vitæ propriæ vel boni communis gravi detrimento.

§. VI. Etiam iusta causa egrediendi non est ne- 71
cessitas conquirendi media vivendi pro Conventu,
nam Pius V. (cujus Const. refert Pias. n. 2., quam-
que renovat Alex. VIII., post renovata etiam de-
creta Bonif. & Trid.) addit, ne propter numerum
Monialium excessivum clausura observatio viole-
tur, Monialibus predictis & illarum Superioribus
& Ordinariis distriete inhibendo precipimus &
mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipi-
ant, admittant, sive recipi & admitti permittant,
quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum
vel consuetis elemosynis commodè sustentari possint.
Ut autem majori numero, si fortè alicubi esset, pro-
videretur, idem Pius V. supra mandat Ordinariis &
Superioribus, ejusmodi egenis Monasteriis meliori
& commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex
opere manuum istarum Monialium provideatur &
succurratur, nullo autem verbo insinuat ideo ape-
riri posse clausuram: Quid autem dicendum sit de
Sororibus conversis exeuntibus ad colligendas ele-
mosynas, videri potest Sanchez à n. 54. & Delb. d. 16.

§. VII. Monialis egrediens sine licentia; item Su- 72
perior concedens licentiam egrediendi sine causa;
item qui comitatur aut recipit sic egressam, incurrit
excommunicationem majorem latae sententiae Papae
reservatam, ipso facto absque ulla declaratione: &
Superiores concedentes egressum privantur quibus-
vis officiis, dignitatibus & administrationibus habi-
tis, ac redduntur inhabiles imposterum, ita Pius V.
in Const. *Decori*: possuntque de illis pœnis videri
Sanct. à n. 63. *Castrop.* à n. 20. *Delb.* 22 & seqq., ubi
à d. 28. examinat, quis ab illis pœnis possit absolvere.

§. VIII. Quoad puellas convictrices Lugo in 73
Resp. Mor. l. 3. d. 7. refert hoc decretum S. Congre-
gationis datum 31. Aug. 1575. *Eandem servant clausu-
ra*

re legem, quam Moniales ipsa, & si semel exierint, nullam habeant ad ea redeundi facultatem: sed quoad hoc attendenda est consuetudo.

74 §. IX. Ingressum in Monasteria Monialium severissimè prohibet *Trid.* supra, tam viris quàm mulieribus cujuscumque conditionis & ætatis: intelligunt tamen rectè *Barb.* à n. 31. *Sanch.* c. 16 n. 5. *Castrop.* p. 10. §. 1. à n. 2. aliique multi cum *Diana* p. 3. t. 2. R. 67. contra alios, hanc prohibitionem cadere tantùm supra personas habentes usum rationis sufficientem ad peccandum vel potestatem incitandi ad peccata, quales essent fatui, qui ideo admitti non debent, uti notat *Delb.* d. 30. n. 7.

75 §. X. Ad ingrediendum requiritur *licentia specialis*, uti habet *Constit. Bonif. VIII.* per hoc autem est specialis, quòd fit specialiter obtenta, quamvis fit ad personas in genere, v. g. pro fabris, Medicis &c., *Az.* *Sanch.* n. 28.: Et talis licentia intrandi censetur esse data ad unam tantùm vicem, nisi aliud aliunde constet, *Ricc. Vgol. Salas, Dian. Tamb. Barb.* n. 59. *Deib.* d. 36.

76 §. XI. Aliqui apud *Sanch.* n. 12. dicunt licentiam ingrediendi clausuram Monialium etiam exemptarum, subjectarum Regularibus, dari posse ab Episcopo, quod *Delb.* d. 32. dicit esse probabile: *Barb.* n. 31. refert decreta S. Congregationis Statuentia, ut pro illis det Superior & Episcopus, sed *Sanch.* n. 13. *Castrop.* §. 2. n. 1. aliique multi cum *Pias.* n. 5. probabilius dicunt ad hoc requiri & sufficere licentiam solius Superioris Regularis; quando autem *Trid.* prohibuit ingressum *sine Episcopi vel Superioris licentia*, tantùm significavit, quòd circa immediatè subjectas Episcopo vel Papæ, requiratur licentia Episcopi, circa alias autem requiratur Superioris; consentitque etiam tandem cum aliis *Barb.* n. 40. referens

ferens n. 41. pro hoc decretum S. Congregationis à se visum; vide *Delb.* d. 33. Et ideo etiam dixit *Bonif. VIII.*, de illius, ad quem pertinuerit, licentia: atque hoc præterea ita declarasse *Pium V.* testatur *Nav.* apud *Sanch.* Vide dicta n. 69., nam AA. cum *Sanch.* n. 14. idem dicunt de dantibus licentiam pro egressu & ingressu: circa Franciscanos tamen est specialis prohibitio circa ingressum, de qua videri potest *Sanch.* à n. 17. Notant autem plerique cum *Nav. Az. Rodrig. Sanch.* apud *Barb.* n. 43. Abbatissam non posse dare hanc licentiam, quamvis *Rodrig. Bonac. Delb.* d. 34. & plures apud *Sanch.* n. 23. contra *Suar.* dicant posse à tali Superiore concedi Abbatissis aut etiam Confessariis potestatem in casibus frequenter occurrentibus dandi eam licentiam, ne sit opus cum incommodo nimis sæpe ad Superiores recurrere.

§. XII. Licentia pro ingressu in Monasterium Monialium debet dari in scripto, uti habet *Trid.* supra: similiter secundum dicta n. 69. pro egressu, uti etiam notant *Sanch.* n. 29. *Barb.* n. 28. *Delb.* d. 37.; putant tamen *La Crux* apud *Gallem*: litt. O. item *Lamas* apud *Sanch.* n. 32., in casibus communiter occurrentibus, uti pro ingressu Medici, Confessarii, Chirurghi, Visitatoris, artificis & aliorum, quorum opera passim & frequenter est necessaria, non requiri in scriptis, imò cum *Barb.* à n. 49. notant in multis ejusmodi casibus esse licitum ingredi absque alia licentia speciali; quod specialiter dicunt de Confessario, fabris, Medicis, Chirurgis &c., sed contradicunt *Nav. Az.* & alii cum *Sanch.* n. 33., nisi esset repentina necessitas: docetque *Sanch.* n. 31. omissionem solius scripti fore mortalem & pœnis subjectam, sed oppositum etiam probabile esse docet cum aliis *Delb.* n. 8., attamen in casu repentinæ necessitatis,
si

si adiri non possit Superior, potest licentiam concedere Præfecta Monasterii, uti cum aliis *Barb.* n. 38. Et tum requiri hanc illius licentiam docet *Sanch.* n. 37. contra alios, sicuti quando pro casu Papali recurri non potest ad Papam, debet recurri ad Episcopum, quia præsumitur tum esse voluntas Superiorum, ut inferior det licentiam, sed in hoc contradicit *Castrop.* n. 7.

78 §. XIII. Potestas ad dandam licentiam egrediendi aut ingrediendi commissa alteri non requirit scriptum Superioris, quia *Trid.* tantum hoc dicit de concessione licentiæ: si tamen Superior alicui commisisset solum arbitrium, dicendo, do licentiam, si judicaveris causam sufficientem &c., putat *Sanch.* n. 38. requiri scriptum ipsiusmet Superioris, quia ipse tum daret illam licentiam; de cætero sufficit scriptum Commissarii dantis licentiam ex potestate sibi à Superiore facta, *Delb.* d. 38.

79 §. XIV. Quævis persona indigens speciali licentiâ, & absque hac in scripto accepta ingrediens clausuram Monialium, incurrit ipso facto excommunicationem, uti habet *Trid.* supra, putatque *Sanch.* n. 31. & 73. incurri, si vel desit justa causa licentiæ, vel scriptum licentiæ, potestque videri fusè à n. 71. agens de hac aliisque pœnis injunctis, ac præcipuè, an reserventur Papæ, an incurrantur à causantibus vel permittentibus talem ingressum: & à n. 105. examinat, quomodo licitum sit invisere vel alloqui Moniales ad crates, aut eis scribere; de quibus fusius agit *Barb.* à n. 69., sed pleraque non habent locum in Germania. De pœnis videri potest etiam *Delb.* d. 54. & seqq.; de visitatione autem scriptiõne & alloquio ad crates, agit d. 70. & 71.

80 §. XV. Causa pro ingressu debet esse rationabilis & manifesta, uti habet *Const. Bonif. VIII.*, tum autem

tem

tem erit manifesta, si non sit dubia, sed moraliter certa, aut, uti vult *Sanch.* n. 39. , si saltem probabiliter iudicetur esse iusta: nec sufficit quævis utilitas, quia *Trid.* dicit, *in casibus necessariis*; *Greg. XIII.* , *pro necessitatibus urgentibus*: sufficit tamen necessitas aliqua moralis; & minor causa exigitur pro ingressu mulierum quàm virorum, pro ingressu Matris aut Sororis quàm aliarum sceminarum, pro ingressu in locum vicinum portæ quàm interiora Monasterii, *Rodrig. Sanch.* n. 41. *Barb.* n. 48.

§. XVI. Causa tum erit moraliter necessaria, si nec per Moniales, nec absque ingressu aliquid commodè fieri possit, & tamen pro hoc sit aliqua moralis necessitas, uti esset, si tot Moniales essent docendæ in cantu, ut non omnes possent ad crates accedere; si organum, horologium, ædificium esset reparandum; si ægra sit visitanda à Medico, à Chirurgo sanandum vulnus vel vena aperienda, *Barb.* n. 54. Vide *Delb. d.* 40. Idem dicunt de Sartore ad metiendas vestes *Gl. Nav.* & *Sanch.* n. 43. contra *Lamas & Castrop.* p. 10. §. 3. n. II. , qui dicunt in ostio clausuræ posse sumi mensuram: negant tamen omnes de sutore, quia pedem habere potest ex antiquis calceis, aut numeratis punctis mensuræ; similiter non est iusta causa, ut quis præsit electioni, quia fieri debet ad cancellos, *Trid. c. 7.* *Sanch.* n. 50. , nisi aliunde esset gravis causa, *Barb.* n. 46. Potest autem Confessarius etiam initio morbi ingredi, & quoties volet Monialis secundum præscriptum vel consuetudinem Ordinis confiteri, aut dixerit se Confessione indigere *Portell, Villal. Diana, Barb.* n. 49. Item quoties ad veram & propriam consolationem desiderabit communicare, quia rationi congruum est infirmis hoc solatium non negare, *Sanch.* n. 45. *Delb. d.* 41. Et siquidem sit Confessarius Regularis, potest secum ducere socium,

81

um, quia id habet consuetudo & postulat decencia, declaravitque Sacra Congregatio, *Delb.* n. 15.; si autem ministraretur extrema unctio, potest etiam ingredi, qui ministerio illi deserviat, qualiscumque sit Sacerdos, qui administret, est enim minus decens, ut id per fœminam fiat, *Delb.* n. 16. Item ingredi potest Episcopus pro Sacramento Confirmationis dando morituræ, *Delb.* d. 51. Quoad Eucharistiam, hæc excipi potest & deduci à Monialibus accensis cereis, *Lamas, Sanch.* n. 46. *Delb.* d. 41, n. 17. Non est autem opus speciali licentiâ pro tali socio, nam quando hæc socii præsentia necessaria est ad decentem ingressum, licentia censetur etiam socio concessa, juxta *Cap. licet*, de privilegiis in 6., tenentque cum aliis *Rodrig.* *Sanch.* n. 47. *Barb.* n. 59. *Delb.* n. 18., qui n. 20. notat Sacram Congreg. voluisse socium habere ultra 50. annos, quod observandum, si commodè fieri potest: item n. 21. notat Sacram Congreg. vetuisse ingredi ad Monialem energumenam exorcizandam. Malefactor etiam posset ad salvandam vitam profugere in clausuram, decens tamen esset remitti extra clausuram ad alium locum, qui gauderet immunitate: quòd si esset crimen non gaudens immunitate, nec vellet exire, posset in clausuram admitti Judex aut alius, qui expelleret, *Sanch.* à n. 57. *Delb.* d. 43.

82 §. XVII. An & ex quibus causis possint puellæ, viduæ, conjugatæ admitti ad cohabitandum Monialibus, explicant fusè *Sanch.* *Barb.* à n. 61. *Delb.* d. 46 & 47.; sed potius attendenda est diuturna praxis in quovis loco: an autem & quas ancillas sæculares liceat habere in Monasteriis, examinat *Sanch.* à n. 65. *Barb.* n. 60. ac 65. *Delb.* d. 48., notantque cum aliis multis *Sanch.* n. 67. *Barb.* n. 68. *Castrop.* §. 2. n. 10. *Delb.* d. 41. à n. 3. justam causam ingressus non esse, ut mater filiam morti proximam invilat, quia

quia non est necessitas moralis, & præsentia matris majori tristitiâ afficiet filiam; ac ita declarasse Cardinales testantur *Cucus, Rodrig. Miranda, Gallem.* ad *Trid.* Ses. 25. c. 5.

§. XVIII. Qui potest aliis dare licentiam ingrediendi, etiam potest ex causa ingredi, dummodo socios habeat, uti decidit *Greg. XIII.* apud *Sanch.* n. 25. *Barb.* n. 43. *Delb.* d. 35. Extendit hoc *Castrop.* n. 5. cum *Sanch.* n. 26. ad illos, qui habent delegatam tantum potestatem dandi licentiam: Item *Sanch.* n. 27. ad *Confessarium*, si ei daretur potestas alteri concedendi licentiam, quia quivis, per se loquendo, videtur posse uti licentiâ, quam aliis potest concedere. Possunt etiam Visitatores secum sumere socios pro invisendo ædificio, infirmis, dormitorio, officinis &c. Similiter si Monialis cum licentia peregrinetur aut commoretur in aliqua urbe, potest pro hospitio, aut etiam pro recreatione ingredi aliud Monasterium sui, non tamen diversi Ordinis, uti putat *Sanch.* n. 11. contra *Castrop.* §. 1. n. 4., qui tantum concedit pro casu, quo non esset hospitium alibi conveniens.

§. XIX. Finitâ causâ ingressus est statim exeundum, & finitâ causâ egressus statim redeundum; intellige *statim*, morali modo, nam per brevem moram se adhuc detinere vel emanere, etiam curiositatis aut urbanitatis causâ, non videtur illicitum, *Rodrig. Bonac. Tamb. Barb.* n. 58. *Delb.* d. 52. *Sanch.* n. 69., addens cum *Diana R.* 67. contra *Bonac.* & *Meroll.*, si trahat longam moram, posse quidem peccari graviter, sed non incurri censuras, quia præcipue cadunt super ingressum aut egressum sine licentia.

§. XX. Si quis ingrediatur, aut Monialis egre-
diatur clausurâ ad duos tantum pedes, & statim re-
cedat,

cedat, est tantum veniale, secundum dicta l. I. n. 672.
 86 §. XXI. Circa pleraque haecenus dicta, uti & dicenda q. seq., sapienter dicit *Sylvius* supra cas. 5., experientiam constare, quod in multis locis voveatur & servetur à Monialibus bona clausura, etiam si ea non servetur cum omni rigore, qui est in Italia, sed modificata juxta personarum, locorum & temporum necessitates, & ratio potest esse, quia non fuit visa esse ubique tanta causa inducendi summi rigoris, ubi non sunt tanta pericula & occasiones seductionum. An autem poenae ipso facto incurrantur sine declaratione, vide *Dianam* supra.

87 Q. 15. Quid notandum sit circa clausuram virorum. R. seqq.

§. I. Ingressum mulierum in Monasteria virorum prohibuerunt *Pius V.* & *Greg. XIII.*, uti referunt *Sanch.* in Decal. l. 6. c. 17. *Barb.* de potest. Episc. alleg. 102. à n. 85. *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 8. Nomine autem mulierum veniunt solae feminae habentes usum rationis, & etiam fatuae puberes, quae ad peccatum cooperari possunt, secundum dicta n. 74, & vide *Delb.* de Immun. Eccl. c. 19. dub. 73. Excipiuntur tamen Imperatrices & Reginae ac earum filiae cum comitatu suo decente, quae ingredi possunt sine ullo privilegio, quia de ipsis non est ulla prohibitio: *Pius V.* autem prohibuit etiam Ducissis, Comitissis ac Marchionissis; *Greg.* tamen *XIII.* admittit fundatrices Monasteriorum, si Regula Ordinis hoc permittat. Verum istae Constitutiones non sunt ubique in eo rigore receptae, nam in Germania vidi saepius ingressum permitti Comitissis etiam non Fundatricibus, & apertam propter has semel clausuram, quibuscumque mulieribus ac puellis.

88 §. II. Licet mulieres à Papa habeant privilegium ingrediendi, si tamen ingressus sit contra Statuta Ordinis,

dinis, quibus privilegium quoad hoc expresse non deroget, ingredi non possunt.

§. III. Etiam prohibentur mulieres ingredi hor- 89
ros Monasteriis vicinos, in quibus Religiosi ambu-
lantes censentur esse intra clausuram, *Delb. d. 77. n.*
7.; attamen non prohibentur ingredi Sacristiam, in
quam datur ingressus è templo, quidquid contra-
dicant *Sanct. & Barb.*, nam usus est in his partibus
contrarius, cum admittantur mulieres ad Sacristias,
licet etiam in Monasterium habeant alium ingres-
sum. Vide *Delb. n. 9.*

§. IV. Quoad Residentias Societatis JESU, si 90
hæ sint perpetuæ ac in eis vivatur uti in Collegiis,
non est dandus ingressus foeminis: oppositum fit, si
tantum sint ædes Missionariorum & velut privatae,
Delb. n. 15.

§. V. *Pius V.* Declaravit licitum esse ingressum 91
mulierum in Monasteria virorum causâ processio-
nis, Vigiliæ, Missæ, funeris defuncti vel alterius cu-
jusvis officii Divini, dum celebratur intra clausuram
& eò confluit populus, dummodo mulieres non ad-
mittantur in officinas internas, sed *Barb.* dicit cessas-
se istam concessionem, unde quoad ista attendenda
est consuetudo: vide etiam *Delb. d. 78.* Est tamen
licitus ingressus causâ medendi Religioso graviter
ægro vel læso, si mas peritus desit.

§. VI. Foeminæ temerè ingredientea Monasteria 92
virorum absque legitima licentia, incurrunt ipso fa-
cto absque alia declaratione excommunicationem
Papæ reservatam, uti & Religiosi admittentes eas;
hique præterea incurrunt suspensionem à Divinis,
privationem officiorum & inhabilitatem ad illa; vi-
de *Castrop. supra, & Delb. d. 79. & seqq.*

§. VII. Egressus diurnus Religiosi è Monasterio 93
suo absque venia, si non fiat animo pernoctandi

extra, est tantum veniale; quale nequidem erit, si fiat ex causa cum praesumpta saltem venia, quando conveniri non potest Superior, *Castrop.* p. 7.

94 Q. 16. *An Religiosus licitum sit audire vel tradere Ius Civile.* R. Hoc resolvetur n. 172.

95 Ibidem decidetur, an Religiosus possit profiteri Canones.

DUBIUM IV.

96

Ad quid Religiosus obligetur vi votorum.

RESP. I. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium; Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretiosissima, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam & independentem, in perpetuum abdicavit. Constat ex capite, *Non dicatis* 12. q. 1. c. *Monachi*, de *Stat. Monach.*

Dicitur I. *Bona temporalia*: quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium, honoris, famae & similia. Item jus eligendi, praesentandi, conferendi regulare beneficium, &c. *S. Thom.* 2. 2. q. 186. a. 7. *Sanch. moral.* l. 7. c. 18. n. 25. *Less.* l. 2. c. 4. d. 5. *Lay.* l. 4. t. 5. c. 7. n. 2.

Dicitur II. *Dominium vel facultatem disponendi*, propter Religiosos Societatis *JESU*, qui post emissam vota retinent, & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent jus actuale de iis pro suo arbitrio disponendi vel utendi; in cuius abdicatione essentia Religiosae paupertatis consistit. *Sanch.* n. 23. & 28. *Laym.* n. 3.

Dicitur III. *Independentem*: quia Religiosus, etiam professus, potest habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris, quod nomine